

300

298

304

294

309

289

349

249

399

199

Ende

Anfang

sepelivit caute in Jerusalem, nolens ut caput cum corpore maneret, ne resurgeret. Discipuli autem ejus tollentes corpus illud sepelierunt in Sebasta Palaestinae, quae est Samaria, inter Elisaeum et Abdiam prophetas. Dum autem ad ejus tumulum multa miracula fierent multo tempore usque tempora Juliani apostatae, qui fuit anno Domini 363., non ferens apostata, invidus gloriae Dei, ad locum sepulchri venit, sarcophagum aperuit et ossa sacra tamquam inutilia abjici et per campum dispergi mandavit. Ubi dum majora miracula fierent, jussit tyrannus ossa sacra latius ab invicem dispergi; sed nec sic cessantibus miraculis jussit ossa omnia recolligi et comburi. Cum autem ossa ad combustionis locum congregarentur, quidam Christiani se gentilibus immiscentes collectis aliquibus membris et ossibus praecursoris abierunt. Porro dextrum brachium, dum cum aliis ossibus fuisse igni infectum, comburi non potuit, sed integrum cum manu et extento digito mansit; unde combustione peracta monachi ad locum accesserunt, intactum sacrum brachium cum digito, quod postmodum datum fuit sanctae virgini Teclae (auferentes), quae illud ad transmarinas partes usque in Normanniam detulit, ubi multo tempore in honore habitum est. Quidam autem imperator pro causis Normanniam transiens brachium accepit et illud in Constantinopolin portavit et in ecclesiam S. Sophiae locavit. Porro anno Domini 1452 ceperunt Turci Constantinopolim, et dum ecclesias profanarent et altaria suffoderent et reliquias dispergerent et conculearent, invenerunt etiam saepe dictum brachium cum suo scripto titulo, quod accipiens Machumet pro se conservavit reponens in suos thesauros; siquidem et Sarraceni et gentiles caeteri honorant S. Johannem baptistam. Demum anno Domini 1480 idem Machumetus Rhodum obsedit (173 a), sed vixit et confusus abscessit, ut supra patet Fol. 153., et anno eodem obiit, cui unus filiorum suorum successit, alter ab eo de terra profugatus inter Christianos usque hodie manet. Ille ergo successor regni, cum paternos lustrasset sibi derelictos thesauros, inveniens sancti Johannis baptistae brachium et manum produxit et quasi pro nihilo habuit, uxor autem ejus, quae Christiana graeca est, suasit ei, ut hoc brachium Rodianis transmitteret et ita illo munere eos placaret super malum a patre eis illatum eosque sibi propitos et amicos constitueret. Siquidem post turpem fugam Turcorum a Rhodo terribiles facti